Orzhabowicz Greg: Quaestio de reproductione.

✠

D. H. D.

QVÆSTIO
DE REPRODVCTIONE.

Ex Capite vltimo Libri Secundi de Generatione & Corruptione desumpta atq;

SVB FELICIBVS AVSPICIIS
Magnifici, Perillustris & A. R. Dñi.

D. M. SIMONIS MAKOWSKI

Collegæ Majoris, Sacræ Theologiæ Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. FLORIANI Canonici, S. R. M. Secretarij, &c. &c. nec non Almæ VNIVERSITATIS ACADEMIÆ CRACOVIENSIS Generalis ac Vigilantissimi RECTORIS.

A
M. GREGORIO OCHABOWICZ
Philosophiæ Doctore ejusdemq; de Minori Collegio Professore
Pro ingressu ad Majus Collegium
Publicè

In Peraugusto DD. Theologorum Lectorio.
Anno Reparatæ Salutis Humanæ M.DC.LXXV.
Pridie Calendarum Septembris ab hora 12.
ad trutinandum

PROPOSITA.

CRACOVIÆ, Typis VNIVERSITATIS.

QVÆSTIO.

V. Res veræ Corruptioni obnoxia, qvalis est sola sublunaris tam permanens qvàm successiva, possit dum est corrupta, per aliqvam Virtutem reproduci eadem Numero. Nec ne?

CONCLVSIO I.

DAtur vera & propria Corruptio in rerum natura.

COROLLARIA.

I. *Præter Corruptionem secundùm qvid, seu* accidentalem, *admittenda est Corruptio simpliciter seu* Substantialis.

II. *Corruptio propria non modò* passivè, *sed etiam* activè *sumpta distingvitur à cæteris mutationibus, licet non eodem modo.*

III. *Corruptio est per se intenta à Natura, licet non per se* primò, *nec à Natura* particulari.

IV. *Dum aliqvid verè & propriè corrumpitur, fit resolutio usq; ad Materiam primam.*

V. *Opinio tollentium è rerum Natura, veram & propriam Generationem, falsa est.*

CONCLVSIO II.

OMnis & sola res Sublunaris dum corrumpitur, lege naturæ corrumpitur necessariò.

COROLLARIA.

I. *Qvodlibet ab intrinseco corruptibile* secundùm se totum, *habet determinatum suæ durationis terminum.*

II. *Vitæ ac durationis periodus, ultra terminum virtutis intrinsecæ Complexionis aut temperamenti, nulla arte aut vi naturali prolongari potest.*

III. *Qvòd per aurum potabile arceatur Senectus, est mera Alchimistarum jactantia.*

IV. *Si verum est, qvòd Senibus qvibusdam juventa redierit, id non fuisse factum naturaliter, censendum est.*

V. *Qvòd homo si permansisset in statu innocentiæ, non fuisset corruptioni obnoxius, id habuisset, non ex vi & condicione suæ naturæ, sed ex dono immortalitatis condicionato.*

CONCLVSIO III.

RES permanens verè & propriè corrupta, hæc eadem numero per virtutem *Causarum secundarum,* nulla reproduci potest.

COROLLARIA.

I. *Falsum est Platonicorum dogma, existimantium omnia qvæ ab initio fuerunt, eadem numero, & eodem ordine reditura esse, redeunte Anno magno.*

II. *Improbabilis est Richardi & aliorum sententia, qvi aliqvos effectus* totaliter *destructos, eosdem numero, naturaliter posse restitui affirmant.*

III. *Qvòd Pelecanus pullos suos à serpente occisos, sangvine suo revocet ad vitam, fabulosum est.*

IV. *Dato, non concesso, quòd Phœnix ex suo cruore, vel (vt alij volunt) ex sua carne putrefacta, aut ex suis cineribus generetur; non tamen is idem numero sed solùm idem specie reparatur.*

V. *Qvæcunq; videntur reviviscere in Vere, ea non verè sed apparenter tantùm moriuntur in hyeme: quòd idem de animalibus ex Scrobe Charonea extractis emortuis, ac postea resuscitatis dicendum est.*

CONCLVSIO IV.

QVælibet res permanens verè corrupta, per virtutem *Causæ Primæ,* potest reproduci eadem numero.

COROLLARIA.

I. *Non habet hîc locum, Aristotelis illud.* A privatione ad habitum non datur regressus.

II. *Negantes Resurrectionem mortuorum, derogant omnipotentiæ Divinæ.*

III. *Falsa est opinio Durandi & aliorum Reproductionem rei ejusdem numero limitantium ad solos* Homines.

IV. *Errant qvi reproductionem rei ejusdem numero, limitant ad solas* Substantias.

V. *Etiam* Accidentia *qvæ in sui unitate numerica non pendent ab vnitate Temporis, supernaturaliter possunt reproduci eadem Numero.*

CONCLVSIO V.

NVlla res Successiva semel corrupta, amplius vllo modo (hoc est *nec naturaliter nec supernaturaliter*) potest reproduci eadem Numero.

COROLLARIA.

I. *Motus semel interruptus, si rursum incipiat, jam non est idem Numero.*

II. *Actio dependens ab aliqvo Motu, hæc eadem nullatenus redire potest.*

III. *Tempus elapsum, hoc idem, nullâ virtute revocari potest.*

IV. *Accidentia qvæ in sui vnitate Numerica pendent ab unitate temporis, hæc ipsa neqvaqvam restitui valent.*

V. *Innocentia semel amissa, & virginitas deperdita, ratione præteriti, sunt omnino irrecuperabilia.*

Soli DEO Honor & Gloria.



Permissu Magnifici Domini

RECTORIS.